

240.
QV. 299

X 7046906



EPITAPHIUM
EPICHARMO CYGNEENSI,
boc est,

NOBILISS. ET CLARISSIMO QVONDAM, NUNC ET BEATISSIMO
POLYHISTORI,

CHRISTIANO DAUMIO,

LYCEI ZWICCAVIENSIS RECTORI LONGE MERITISSIMO,
PIE ERECTUM,

QVO

PLURIMUM VENERANDOS

DNN. INSPECTORES,

NEC NON VIROS OMNES ALIOS NOBILISSIMOS,
REVERENDOS ADMODUM, SPECTATIS-
SIMOS, CLARISSIMOS,

M. JO. FRIDERICUS *Röber/*

Illustris Ruthenēi RECTOR,

ad auscultandas

ADOLESCENTUM OPTIMORUM,

DANIELIS LANDROCKII,

BREITENBRUNNA-MISNICI,

ET

HEINRICI FELLERI, GERANI,

Valedictiones publicas,

cras, C. B. D. sub horam II. pomerid. habendas,
observanter admodum, perofficose & humanissime

INVITAT.

GERÆ, Literis WERTHERIANIS.



BEnè omninò pieque & laudabiliter fecerunt
& planè ex officio OLORES SVAVISSIMI & multò
elegantissimi, quòd CYGNUM suum, sub exodium
anni superioris mortalium rebus exemptum, justis de-
plorârunt lachrymis, nec sine luctu summò ac dolore
acerbissimò mortem ejus lamentati sunt. Etenim quantò majus
atque intolerabilius sui desiderium is reliquit orbi eruditorum uni-
verso, tantò exquisitior meritò luctus esse debet & constantior,
quò Manes ejusdem pientissimos prosequi omnes ac venerari par
est. Erat quippe CHRISTIANUS ille DAUMIUS Aristarchus
seculi nostri acutissimus, Priscianus ætatis hujus clarissimus, Var-
ro lingvæ Latinæ incomparabilis. Itaque non vanæ fuerunt No-
bilissimi JO. LUDOVICI PRASCHII, non fictæ excellentissimi
JOACHIMI FELLERI, non inanes clarissimorum STUBELIO-
RUM, non proletariæ præstantissimi DAVIDIS WINTERI, non
nullæ aliorum lachrymæ, quas venâ nec infelici, & ad tantum Pan-
epistimona deplorandum aptissimâ, sincerò planè & candidò
quisque animò fuderunt. Vellem, si res ageretur votis, vellem,
daretur mihi desubitò spiritus aliquis ac impetus Poëtarum cele-
brium, & vel DAUMII imprimis, ut digna DAUMIO, hoc est, di-
fertissimo Phœbi Sacerdote, & Vate promptissimo, adferre, & cer-
tare adeò cum doctissimis illis Poëtis queam. Verùm cum va-
num sit optare ista, & irritum planè, paria illis conari, cum meò me
metiri modulo ac pede non nesciam: ideò, quod in viricularum
mearum luco ac fano est, faciam, amore scilicet cum illis, pace ta-
men tam præcellentium Vatum, certaturus, non vorfa, sed prorfa,
id est vulgari & humiliore, quæ in promptu est, oratione, in lau-
des optimi ac beatissimi Viri, quem Parentis ad instar vivum sem-
per veneratus sum, digrediar. Neque enim par est, tanti amici,
& communis veluti Præceptoris mortem relinquere indeplora-
tam. Itaque, cum opis meæ non sit, monumentum ære peren-
nius erigere, aut excelso Pyramidum fastigio altius; Epitaphium
tamen, in gratæ mentis indicium, VIRO LAUDATISSIMO eri-
gam & excitabo, & illud quidem non meis, sed Theocriti, Poëta-
rum Grajorum non ultimi, verbis. Qui Epicharmo Comico tale
confecisse, & his quidem verbis insigne, commemoratur:

ΠΟΛ.

ΠΟΛΛΑ ΠΟΤΤΑΝ ΖΩΑΝ ΤΟΙΣ ΠΑΙΣΙΝ ΕΙΠΕ ΧΡΗΣΙΜΑ.

ΜΕΓΑΛΑ ΧΑΡΙΣ ΑΤΤΩ!

Hoc sanè VIRO INCOMPARABILI monumentum statui posse; ex facili patebit cordatiorum cuique, si, quod Theocritus de Epicharmo dixit, id de DAUMIO nostro, collatione inter utrumque institutâ, breviter dicamus. Prodeat ergo Epicharmus, prodeat & hęc non minor DAUMIUS, ut, quid inter se vel convenient vel differant, perspicuè palam depræhendatur. Cur verò ratione Patriæ eos inter se conferamus, non est, quæ illi incerta, (alii enim Siculum, alii Coum, alii Samium faciunt) huic verò certissima obtigit, Cygnea nempe, urbs Electoralis Saxonica, vetustate, famaque civium ac studiis literarum admodum illustris. Neque verò genus utriusque inter se comparare necesse est, quod honestissimum utriusque, hujus etiam diplomate Cæsareo, vel ob Avi merita, clementissimè nobilitatum fuit. Quod ad ingenii dotes est, has in utroque eminuisse præceteris, ecquis vel tantillum dubitet? Certè DAUMIO nostro *ignem, imò caeleste & æthereum tribuit ingenium*, literis ad ipsum scriptis Nobilissimus ille Barthius, omnis quondam eruditionis antiquæ penu, qui nemini assentari solebat unquam. Erat Epicharmus Pythagoræ, qui primus Philosophiæ dedicavit nomen, auditor. Præceptorem habuit DAUMIUS Zechendorfium, Virum notitiâ præcipuè Orientalium Lingvarum celeberrimum, quem verò deinde, cum successor datus esset, & *ἀνεβεία* indagandi radices Latinæ Lingvæ, & styli elegantiam immane quantum superabat. Nescio an huc etiam referre liceat laudatissimum Barthium, à quo in familiam primò receptus, deinde sæpenumerò cum Lipsiæ, tum & in Prædio humanissimè exceptus ac benevolè detentus, dubium non est, quin pro sagacitate indolis, & indefesso discendi ardore, multa didicerit. Cos enim cotem acuit, ignis accendit ignem; & ingenium excitat alterum, si æque bonum invenit, accedente imprimis morum similitudine ac studiorum, quæ blanda amoris nutricula est. Quamquam subsequētib; annis ipse Barthius, maximus literator, auguratus aliquando sit, se DAUMIUM, quem fidum sodalem habuerit antea, si advixerit, habiturus tandem ex sua etiam parte

);(2

Do-

Doctorem sit. Adeò ingens in DAUMIO erat eruditio, insignè
 ingenium, acre iudicium. De stylo etiam ejusdem ita κερήνῃς si-
 ne pari iudicat: *nemo offendet quicquam superfluum, extra corpus
 orationis exstans, aut morbidum quocungq; adfectu, qui rectè rem diju-
 dicare quiverit & voluerit. Oratio utraq; ingenua, nitida, vivida,
 naturale decus nullibi non spirans.* Cui censuræ tantò credendum
 magis est, quòd ad ipsum DAUMIUM de DAUMIO, non ad ali-
 um, scripta est. Ex Aristotele Plinius prodit, ab Epicharmo li-
 teras Græcorum Θ & X primùm repertas fuisse. Non literas,
 quas satis multas habemus, sed, quod vilius inventum haberi
 non debet, radices cum Latinæ, tum & Græcæ lingvæ indagan-
 do eâ felicitate invenit, quam non facile alius arrogare sibi ex me-
 rito potest. Dixit hic de DAUMIO Cicero aliquis, si in hæc
 tempora incidisset, quod olim de Varrone commemoravit: *nos,
 in nostra urbe peregrinantes errantesq; tanquam hospites, tui libri quasi
 domum te duxerunt, ut possemus aliquando, qui, & ubi essemus, agno-
 scere.* In epithetis excelluisse Epicharmum, Demetrius περὶ ἐγ-
 μνησίας memorat. Ecquis vel tam imperitus istarum rerum, vel
 tam iniquus censor est, qui laude illâ defraudare DAUMIUM
 velit? Erat enim spiritus non humilis Poëta, & variandæ ora-
 tionis perquam studiosus. Quod testari possunt Vertumni Poë-
 tici, ac Thyrsigeri, quos ita vocare liceat, pluribus omninò vici-
 bus variati, qui partim typis excusi prostant, partim intra scrinia
 latent. Quanquam certum sit, BEATISSIMUM VIRUM non
 facile proluxiori se indulgisse carmini, quia brevitatis, ut ipsum
 aliquando dicere memini, si quis alius, amans fuit. Cæterum
 de Poëmasi Daumianis ita censuit celeberrimus Barthius: *Poëma-
 tia tua vel aonimum, vel puto omnem accuratone censuram esse su-
 pervecta; in Jambo purò te ipsum vincis, nec parem habes, qui nunc
 tale quid scribat.* Et de Vertumno hoc erat viri summi iudicium:
attonuisti certè seculum hoc tuo πολυποικίλῳ opere. Sed ex Epita-
 phio, quod statutum Epicharmo fuit, nunc porrò comparatio
 illius cum DAUMIO nostro instituenda est. Igitur, ut de Epi-
 charmo Bucolicorum princeps ait, *πολλὰ τοῖς παισὶν εἶπε χη-
 σιμα:* ita de DAUMIO imprimis dicendum, quod pueris juxta
 & adolescentibus multa dixerit profutura, in Lyceo præcipuè
 Cygne-

Cygneensium, cui per ipsos quadraginta & quinque annos, cum dodrante, summa cum dexteritatis, fideiq; ac sedulitatis laude præfuit. Multa dixit docuitque ex optimis utriusque lingvæ autoribus, in Eberina quoque, cujus ut & reliquarum Orientalium Noster fuit callentissimus. Vah quanta enodabat perspicuitate, si qui occurrebant, nodos? Quanta promptitudine idioma lingvarum & indolem ostendebat? Quantâ fide omnia, quantô studio, quantâ industria inculcabat? Quam indefessa opera repetebat, quæ docuerat, probè gnarus, longaque doctus experientia, nullam repetitionem, ut Seneca ait, nimiam esse? Singulari quadam suavitate arreperere ac blandiri norat auscultantium animis, quia, cum loqueretur, mella Homerici senis profluere, & quæ scribebat, complere apes floribus & innectere videbantur. Quæ autem dixit, docuitque DAUMIUS, ea omnia non nisi utilia fuerunt ac bona; quod in Epicharmo vel præcipuè commendatur. Videlicet prudens cavere Præceptor solet, ne cum priscis Ægyptiorum Regibus Pyramides excitet, quæ, præter ostentationem, nihil habent utilitatis, quâ se commendent. Id quoque diligenter dat operam, ne vitrum gemmis, ne texta araneorum præferat serico, suisque proponat temerè. Etenim malè ac perversè sumitur opera, quæ in minus utilibus nec profuturis rebus occupatur. Unde non rarò quorundam exaudias querelas, quod necessaria ignorent, cum in non adeò necessariis triverint ætatem. Et Scholas sui ævi hoc nomine perstringit Arbiter, quod nihil ex iis, quæ usu habebantur, aut audiverint adolescentes, aut viderint. Docendum igitur in scholis, quod per omnem deinde vitam profit, suamque exerat utilitatem. Quod cum de DAUMIO suo non ignoraret Nobilissimus gente ac doctrina Barthius, his aliquando ad suum delictum verbis scripsit: *Scio Te instituendæ Juventuti non aliàs facile meliorem DEOq; gratiorem operam navaturum.* Equidem comœdias non concinnavit Noster, exemplo Epicharmi, qui eas non invenisse modò legitur, sed & plurimas, cum omnium applausu, scripsisse. Neque enim omnium ingenia ad ludicras has operas

nata & apta sunt, nec faciunt omnia *πρὸς εὐχρημοσύνην* ac juven-
tutis commodum, quæ Comitorum licentia, in gratiam plebis
imperitæ, sibi permittit. Scripsit tamen DAUMIUS nec pau-
ciora & longè utiliora. Omnium jampridem puncta tulit li-
bellus egregius, qui de causis amissarum lingvæ Latinæ radi-
cum vel doctissimos docere potest Viros. Et utinam iste ab
ipso autore, cum adhuc mortalium rebus interesset, recensitus
denuò, & notis, quas addidisse eum magno numerò vidi, lo-
cupletatus prodiisset! Neque enim dubium est, quin ab ipsa
DAUMII manu, quàm quavis alia, exactius dedolatus, diu in
luminis auras emerfurus fuisset. Et quid commemorem In-
dices Latinæ Lingvæ analogicos? Quid dicam Indagatorem
radicum, quid alia, quæ dudum affecta habuit eruditissima
scripta? Vastissima futura sunt volumina, si, quod maximè
optandum, in salivam mittantur publicam egregia illa, atque
rei literariæ cum primis dedicata, & nisi fallor, satis adfecta
scripta. De quibus iterum hoc tulit iudicium iudiciosissimus
Barthius: *tam docte tamq̃, exacte differis, ut tuo operi, quod in ma-
nibus abs Te haberi scimus, par nihil à quoquam præstitum aut susce-
ptum unquam, quam diu quidem Musicus Sol hic luxerit, inclusis
etiam Latii florentis temporibus. Sodes enim conferas Varronis, Ni-
gidii, Cesaris, Plinii, aliorumq̃, commentaria Grammatica, quæ qua-
lia fuerint, ex citatis abinde locis fragmentisq̃, aliis conijcere facile
firmiterq̃, possumus; & videbis, quam omnes nihil ad tuam hanc im-
manis meriti operam fecerint, aut facere adeò potuerint. Tu enim
ea solertia, eiq̃, ingenio, doctrinaq̃, illa es & lectione, ut ab Ebraicis,
Chaldaicis, aliisq̃, initialibus lingvis tuas opes repetere possis, & va-
stata omnis Romana res, minimè vastata videatur. Et iterum ali-
bi ille: Confice Germanis nostris hoc perpetuum literariæ virtutis
monumentum, quod sane tanta mole malè susceperis, si neglexeris de-
texere, modo DEUS O. M. det annos & otium. Scilicet propter
Indices istos non modo Scriptores vetustiores, sed etiam me-
diorum temporum exscrutatus fuit diligentissimus DAU-
MIUS, tantumne? imò & superioris etiam, hujusque adeò se-
culi Poëtas, doctosque alios Viros in partes traxit, ut longè lo-
cuple.*

cupletior omnis universa mortalitatis futura sit post hoc Opus lo-
quentia & eloquentiâ, ut iterum censet ὁ πάνυ Barthius. Quæ
cum ita sint, ecquis non & DAUMIUM multis, quod ajunt,
parafangis præire Epicharmo dicat, & mecum seriò exoptet,
ut lucem aliquando videat tam utilis, tam singularis, tam in-
comparabilis Liber? ἐξοχ' ἤλιε Φίλε! Nolo recensere pluri-
ma aliorum meletemata, quæ ex Bibliothecâ, quam habuit, &
cui nihil non impendit, locupletissimâ, in salutem publicam
exire idem passus est, correctâ à se, emaculata, aucta, erudi-
tissimis præfationibus ornata. Modum enim scriptionis no-
stræ excedat, si vel nomina eorum recensere velim. Et quot
exarâsse DAUMIUM epistolas dicam, & doctas quidem ac
magni planè momenti, cui cum omnibus propè eruditis,
quos eruditus orbis alit, commercium literarum intercessit?
Vah quantas opes, quantos thesauros, quanta κειμήλια habi-
turi essemus, si, quas ex universa Europa aut celeberrimi Viri
ad hunc, aut hic ad ipsos destinavit epistolas, haberemus? In-
star esse possunt literæ ipsius & Reinesii τὸ πάνυ ἀμοιβαῖαι,
quas è Museo suo doctissimus quondam Jo. Andreas Bosius,
typis exscribi fecit. Neque dubium est, quin reliquæ nec
mole nec doctrinâ vel latum ungvem illis sint cessuræ. Ego
sanè præ cæteris rebus, quas fatalis incendii rabies nec pau-
cas & pretiosas mihi eripuit, impatienter planè desiderium
fero epistolarum ultra centum & quinquaginta, quas bene-
volâ admodùm & perquàm amica manu ad me perscripserat.
Exsurgat ergò FELLERUS aliquis, aut alius disciplinæ quon-
dam DAUMIANÆ Alumnus, vindicet ab interitu tanta tan-
ti ingenii monumenta, & quod Auctor, morte præoccupatus,
facere non potuit, præstet, anxiumque eruditi orbis, quò te-
netur, desiderium expleat! Cæterum μεγάλα χάρις αὐτῶ!
Gratiæ sint Tibi maximæ & immortales, IMMORTALIS
DAUMI, quod nos tot bona docuisti! Te quamvis mortuo,
nunquam tamen memoria Tui in animis nostris morietur,
aut exolefcet. Dolemus interim non immeritò, DAUMIUM
nostrum, qui in quamplurimis par potuit haberi Epicharmo,
nec

Ha 6231 AK

nec in paucis longè superior fuit , ad eum ætatis gradum non pervenisse, in quò stetit ille sive Comicus, sive Poëta & Philosophus, cum rebus excederet humanis. Nam septem & nonaginta ipsum annos fecisse vivendo, Lucianus testatur in Macrobiis. Sed Nostro plures, quàm viginti defuerunt anni, quò minus ad grandem adeò ætatem accederet. Id quod tantò lugemus acerbius , quò plura nobis bona cum **CELEBERRIMO VIRO** interciderunt. Quæ cum ita sint, nemo, opinor, vitio nobis vertet, quod Cenotaphium quasi quoddam Eidem & heïc Geræ erigimus , gratissimam ipsius memoriam restauraturi. Cujus quidem gratia, cras, **DEO** clementer annuente, circa horam pomeridianam II. parentalia, **BEATISSIMO VIRO** sacra, instituet optimus Adolescens, **HEINRICUS FELLERUS, GERANUS**, transferendo ad Hypothesin, quæ antea in Thesi de boni Reëtoris dotibus & requisitis exposuerat, piissimus itidem Adolescens **DANIEL LANDROCKIUS, BREITENBRUNNA-MISNICUS**. Qui quoniam Musis simul nostris, à quarum uberibus alter per quatuor ipsos annos, alter à parvo admodum puero, non sine laude pietatis, probitatis, modestiæ ac sedulitatis penderunt, valedicturi sunt; ideò non ipsos modò, tanquam dignissimos, & scholasticâ eruditione satis instructos, bonâ cum pace dimittimus, sed & bonis omnibus de meliori commendamus. De cætero, ut, cum **PLURIMUM VENERANDI DNN. INSPECTORES**, tum & **QVOTQVOT REPUBLICAM SCHOLASTICAM AMANT AC FOVENT**, acroamati huic interesse, & suam adeò benevolentiam in rem literariam testari evidenter velint, observanter admodum, perquam officiosè ac humanissimè rogamus. *Λόγον περιεπιτικόν* **LANDROCKIO** suo **MICHAEL Ruhn/CYGNEA-MISNICUS**, **FELLERO** autem **MATTHÆUS Naundorff/SCHOENWALDA-BOHEMUS**, habituri sunt. P. P. **GERÆ**, d. XIV. Junij, A. O. R. ∞ Ibc **LXXXIIX**.

1077

M.C.

240.
QV. 239 X 2046906



EPITAPH
EPICHARMO

NOBILISS. ET CLARISSIMO QUO
POLYH

CHRISTIANO

LYCEI ZWICCAVIENSIS REC
PIE ER

PLURIMUM

DNN. INSP

NEC NON VIROS OMN
REVERENDOS ADM

SIMOS, CL

M. JO. FRIDE

Illustris Ruther

ad aufc

ADOLESCENTUM

DANIELIS L

BREITENBRUN


HEINRICI FEL

Valediction

cras, C. B. D. sub horam
observanter admodum, p

I N V I

GERÆ, Literis



S,

er/

